

accedens; dum alibi *Scopolianæ* iconi similior reperitur, facie in diversis his locis adeo diversa, ut, nisi semina fata eandem stirpem protulissent, distinctas species nos invenisse putassemus.

EXPLICATIO TABULAE.

- a. Calyx.
- b. Petalum.
- c. Genitalia.
- d. Pistillum.
- e. Semen.

Tab. 121.

SCORZONERA ROSEA.

Scorzonera caule basi ramofo simplicive; foliis linearibus, margine scabris; pedunculis elongatis, subaphyllis.

Scorzonera purpurea. *Scop. carn.* 2. p. 96. t. 46.

Scorzonera graminifolia. *Hofst. Synops.* p. 421.

RADIX perennis, cylindrico-fusiformis, calamum digitumve crassitie, pedem aut sesquipedem longitudine æquans, simplex, inferne radículas fibrosas edens, superne a reliquiis harum plerumque tuberculata, capite fibris fuscis crinita, extus fusca, intus alba, fauciatá succum lacteum amaricantem plorans.

CAULES simplicissimi, aut basi duos, raro tres ramos edentes, solitarii binive, raro terni, iique ex eodem capite prodeuntes, erecti, palmares, spithamæi aut pedales, culmum *Tritici* crassitie æquantes, teretes, lineis elevatis subangulati, nudi, læves, superne nonnunquam purpurascens.

FOLIA linearia, planiuscule canaliculata, subtus subcarinata, acuta, margine scabra seu subserrulata, striata, nuda: radicalia plura, paulo latiora, in vegetiore planta nonnunquam lanceolato-linearia, versus basim nonnihil angustata, inde dilatata in vaginam intus & marginibus albo-lanatham, primum erecta, demum recurva; caulina 3-7, erecta, basi parum dilatata semiamplexicaulia, infima radicalibus propiora, subæqualia, similia, superiora successive remotiora, breviora, angustioraque, ut summa sæpe pollicis dimidii longitudinem non adæquent & prope setacea evadant, atque tertiam partem caulis sæpius aphyllam relinquunt.

FLORES inter species nostrates, quæ sunt: hispanica, humilis, parviflora, angustifolia & laciniata, amplissimi, solitarii, caules ramosque terminantes, erecti, in casu caulis simplicissimi cum uno alterove rudimento in foliorum axillis. Pedunculi, in quos caulis ramique continuantur, elongati, sæpe reliquo caule longiores, aphylli, nec nisi raro folio minuto, ad duorum pollicum distantiam flori accedente, instructi.

CALYX oblongus, superne angustatus, angulatus, sublanatus, serius calvescens, imbricatus: squamis margine submembranaceis, apice fuscis, exterioribus ovato-lanceolatis, subcarinatis, acutiusculis, sub apice dente acuto auctis, interioribus lineari-lanceolatis, obtusis.

COROLLAE explanatæ, pallide rosæ, nonnunquam fere albæ cum parcissimo tinctu rubello: corollulæ 17-20, lineares, planæ, truncatæ, quinquefido-dentatæ,

lineis 5 purpureis insignitæ, in tubulos albos subpubescentes coeuntes, exteriores septem-novem multo longiores interioribus ac veluti radiantes, & ab se invicem spatio non modico distantes.

STAMINA corollulis breviora: filamentis albis, tubulo corollulæ circa medium insertis, & hinc velut adnatis; antheris in tubulum 5-angularem, supra infraque 5-dentatum connatis, pallide flavescentibus, nonnunquam subviolaceis, angulis tandem fuscescentibus.

GERMEN ovato-oblongum, album, nudum, læve; Stylus filiformis, albus, superiore parte purpurascens, bifidus in stigmata filiformia, purpurea, revoluta.

SEMINA oblonga, sulcato-angulata, angulis superne denticulatis aspera, nuda, fusca, exteriora incurva. Pappus plumosus, sessilis, pallidissime rufo-fuscescens, constans radiis inæqualibus, inferne pilosis.

RECEPTACULUM nudum, convexum.

Habitat in graminosis alpium Hungariæ, Transylvaniae, & Croatiae: velut in Petrofa, Trojaga, & Pop-Iván alpibus Marmarosiensibus; in Rosály alpe Szathmariensi; in Guttin alpe Transylvanica; & in Velebich catena alpium Croatiam a Dalmatia dirimente.

Floret Julio.

Plantam hanc nec cum *Scorzonera purpurea* Jacq. *fl. austr. t. 35*, nec cum *graminifolia* ejusdem *Obs. 4. p. 13. t. 100* conjungendam, proprio nomine distinguendam censuimus: ab illa quippe differt caule brevioris simplicissimo aut basi (nec apice) ramofo; ramis, pedunculisque elongatis; foliis linearibus, planiusculis, subferrulatis; corollis amplioribus, pallide roseis, inodoris; proportione partium diversa; tempore florendi seriore; quæ notæ constantes manserunt etiam in planta culta; a *Scorzonera graminifolia* autem discrepat: radice simplici, caule humili, terete, simplicissimo aut basi ramofo, tantum inferne foliato, nec unquam bipedali, inferne triangulo, superne ramofo, semper foliosissimo; foliis linearibus, planis, striatis, subferrulatis, nec lineari-ensiformibus, & (ut in *Gmel. fl. sib. 2. p. 5*. describuntur) superioribus nunquam non, inferioribus saltem in humiliore planta undulatis, crispis aut plicatis, nervosis, integerrimis; pedunculis elongatis, subaphyllis, squama alba destitutis; corolla amplissima, pallide rosea, 17-20 flosculis composita, nec parva, sulphurea, flosculis 30-40 pluribusve constante.

EXPLICATIO TABULAE.

- a. Petalum.
- b. Semen.

Tab. 122.

SCORZONERA ANGUSTIFOLIA.

Scorzonera foliis subulatis; pedunculo incrassato; caule basi villoso. Jacq. *vind. 140.*
Lin. spec. pl. cur. Reich. III p. 616. Scop. carn. 2. n. 950. Mill. dict. n. 5.

Scorzonera caule simplici unifloro, foliis lineari-lanceolatis. Gmel. *sib. 2. p. 2. t. 1.*

Scorzonera caule nudo unifloro, foliis linearibus. Hall. *helv. n. 11.*

Scorzonera humilis angustifolia, pannonica III. Clus. *hist. pag. CXXXVII.*

RADIX perennis, simplex, digitum auricularem indicemve crassitie æquans, profundissime in terram, quamvis duram, penetrans, multiceps, tuberculis sparfis



Scorzonera = rosea.